

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

*PARCIORE IN HODIERNA, QUAM
IN ANTIQUA ELOQUENTIA,
AFFECTUUM USU;*

QUAM,

CONSENSU AMPL. FACULT. PHILOS. IN ACAD. AE.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqu. Prof. Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodim. in
quarta classe Equite, & Societt. Oecon. Imp. Fenn. atque
Reg. Wermel. nec non Soc. Patriot. Holm. Membro.*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

*CAROLUS ELIAS ALOPÆUS,**Wiburgensis.*

In Auditorio Theolog. die XVIII Junii MDCCXIV.

Horis a. m. confuetis.

ABOÆ,

EX OFFICINA FRENCKELLIANA.

IN

SACRAM CÆSAREAM MAJESTATEM

MAGNÆ FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO DOMINO

MAGNO JACOBO ALOPÆO,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,

DIOESEOS BORGOËNSIS EPISCOPO,

GYMNASII ET SCHOLARUM PER DIOECESIN EPHORO,

ORDINIS IMP. DE S. ANNA IN PRIMA CLASSE EQUITI,

IMP. SOCIET. OECON. FENN. MEMBRO,

PATRI OPTIMO,

*Ea, qua par est, animi pietate, opusculum hocce Academicum
dicatum voluit, debuit*

obedientissimus Filius

CAROLUS ELIAS ALOPÆUS.



*Magna eloquentia, sicut flamma, materia alitur,
Et motibus excitatur, Et urendo clarescit.*

AUCTOR Dialogi de Oratoribus.

Fuisse antiquorum Rhetorum disciplinam ad illorum proprius
quam nostrorum temporum Eloquentiae habitum formam-
que accommodatam, & ipsa res loquitur, nec post mutatam
ut cunque dicendi rationem eruditos diu latuit. Ad πραγμα-
τειαν atque negotia, id est ad veras causas s. finitas quæstio-
nes tractandas tota fere comparata erat Veterum facundia: un-
de & e tribus harum generibus *vasorias* & *controversias* ma-
ximi faciebant, *laudationes* vero partim minus judicabant ne-
cessarias (a), partim omni causarum generi communes & ad-
spergendas (b), partim, ubi seorsum forte tractarentur, ad
hominum, non rerum, laudem conferendas (c). Restricta sic
ad

A

a) CICERO de Orat. L. II. c. 10 f. 43. c. 11 f. 47. c. 84 f. 341.
QUINTILIANUS L. III. c. 4 f. 2, 9.

b) Sic ISOCRATES apud QUINTILIANUM L. III. c. 4 f. 11. cfr. CICERO
de Orat. L. II. c. 85 f. 349.

c) CICERO de Orat. L. I. c. 31 f. 141. L. II. c. 84 f. 341. Partit.
Orat. c. 20 f. 69.

ad civiles plerumque materias Eloquentia (*d*), aut, si quando latius evagaretur, in solam audiendum delectationem artisque & ingenii ostentationem compacta atque conclusa (*e*), nec in nudo docendi munere, quod partim Dialecticæ, partim illius doctrinæ, ad quam spectibat proposita ad docendum materia, & recte, censébatur (*f*), proprie occupata unquam, habitabat quidem certo respectu arctius quam nunc, sed in regno tam en multo illustriore atque florentiore. Pragmaticis vero illis orationibus cum postea prævaluissent sedatores demonstrativi generis, novæque successissent, & religiosæ ad populum coacções, & ornatiores ex disciplinis severioribus acroases, omnesque hæ, contra Veterum morem (*g*), Orationum nomine insigniendæ

d) CICERO de Invent. L. I. c. 5 f. 6. de Orat. L. I. c. 6 f. 22. c. 11 f. 48. cfr. QUINTIL. L. II. c. 15 f. 19, 21 sq. 33. c. 17 f. 14. c. 21 f. 2. L. III. c. 8 f. 14. & ARISTOTELES, Rhetor. L. I. c. 2 f. 7.

e) CICERO Partit. Orat. c. 3 n. 10. ARISTOT. L. I. c. 3 f. 2. QUINTIL. L. XI. c. 1 f. 48.

f) CICERO de Orat. L. I. c. 10 f. 42 sqq. c. 11 f. 49 sq. L. II. c. 15 f. 66. cfr. Brut. c. 90 f. 309 Orat. c. 32 f. 113 sq. Partit. Orat. c. 23 f. 79. QUINTIL. L. III. c. 4 f. 10. On peut écrire ou parler avec intérêt, & même avec chaleur, sur une ou plusieurs vérités physiques, morales, politiques . . . sans être pour cela orateur: on peut bien par-là en annoncer le génie; mais ce n'est point là ce qui le caractérise. AUGER, Oeuvres complètes de Démosthène & d'Eschine, 1804 T. I. Discours préliminaire p. 7.

g) Rethores sive Oratores DEMOSTHENEM, AÆSCHINEM ceterosque cœtuum popularium & forensium agitatores & rectores appellabat antiquitas; Sophistas vero & Philosophos, qui aut, GORGIAE, THRASYMACHI, HIPPÆ &c. instar, de re omni parati erant dicere, aut, PLATONIS modo, subtiliora etiam abstrusioraque disciplinarum capita dicendo exornabant. Cfr. CICERO Acad. L. IV. c. 23 f. 72. Orat. c. 11 f. 37. Brut. c. 8 f. 30 sq. de Orat. L. III. c. 32. Qui omnia docebant, dilucidiora, non ampliora, faciebant: Orat.

signiendæ putarentur: erant omnino, quæ in antiquorum Rhetorum præceptis mutanda nonnullis viderentur. RAMUM (PETRUM DE LA RAMÉE) taceo ejusque asseclas, neque minus JAC. FACCIOLATUM, qui Inventionis Dispositionisque doctrinam e Rhetorica exterminandam ideo voluerunt, quod illæ Dialecticæ potius esent partes & in omni scribendi dicendique genere necessariæ: sed proprius ab instituti ratione abest eorum consilium, qui tria illa a veteribus assumta Causarum genera, *Demonstrativum puta, Deliberativum & Judiciale*, aut sublata penitus voluerunt, aut novis *Didascalico*, hujusque specie *Ecclesiastico* s. *Sacro augenda*; unde & in *Scholaisticas, Politicas & Ecclesiasticas* a CHRIST. WEISE, in *Demonstrativas, Doctrinales & Compellatorias* προσφωνηματικὲς λόγιες DIONYSII Halicarnassei, *Complimentir-Reden*) a JOH. CHRISTOPH. GOTTSCHED, in *Declamationes* (Scholarum) & *Panegyricas* a JOH. GOTTL. HEINECCIO, ab aliis aliter, distribui cœptæ sunt hodiernæ Orationes. Verum, remotis, ut oportet, ab Oratoriis, quem proprie vocamus, officio materiis pure doctrinalibus atque τὴν ἐπιτίμην potius quam τὴν ἀλογησιν spectantibus (nam qui cum doctis loquuntur, aut erudire rudes volunt, sedare animos malunt quam incitare, & docendi causa, non capiendi, loquuntur (h), quemadmodum neque pro veris orationibus habendæ sunt DIONIS CHRYSOSTOMI Διατριβæ, MAXIMI Tyrii Διαλέξεις, LIBANII Μελέται, aliorumque Sophistarum alia), non multum erit, quod ad reliquas, difficultatis. Compellatoriae scilicet GOTTSCHEDII plurimum habent, notante ipso DIONYSIO, cum Panegyricis Demonstrativi generis similitudinis

A 2

c. 5 f. 20. cfr. c. 19 sq. & maxime f. 68, ubi se jungitur *Orator a Philosophorum eloquentia, a Sophistarum, ab Historicorum, & Poëtarum.*

(h) CICERO *Orat.* c. 19 f. 63. cfr. f. 62, & ARISTOT. *Rhetor.* L. I. c. 1 f. 12.

nis; Politicæ, quantumvis viribus jam inferiores, easdem, ubicunque vel tantillum servarunt pristini nitoris auctoritatisque, easdem hodie, quas olim, sequuntur leges; Homiliae vero sacræ, quamvis proprii in multis characteris, ad Deliberativarum tamen naturam aliquatenus accedunt, eoque a doctis viris haud paucis non incommodè referuntur (i). Et habet sane *omnis Eloquentia* aliquid communè: id imitemur, quod commune est (k); nec uno respectu magnum esse censetur antiquæ Rhetoricæ pretium. Præterquam enim, quod linguis scripta est clasfici &, quamdiu elegantioribus Molis suis constabit honos, nunquam intermorituris, intelligentiam præstantissimorum Oratorum i. e. Veterum vehementer adjuvat; egregia continet ad omne dicendi scribendiisque genus facile accommodanda præcepta, eaque non tam ex universali quodam posterius asumto sed abstrusiore principio deducti, quam ex intima animi humani natura & sollerti rerum observatione, quæ summam hac in re efficiunt (l), profecta; & auctores agnoscit aut summos aut satis bonos dicendi artifices,

eos-

i) Sic GER. JO. VOSSIUS, Comment. Rheter. L. I. Cap. 3. §. 3. JO. MATTH. GESNERUS, ad Fundamenta Stili cultioris Heinecciana P. II. cap. 2. §. 3. HENR. GABR. PORTHAN & GUST. WILH. RYDMAN, de officio Oratoris Sacri in argumentis inveniendis, Ab. 1778 p. 6. AUGER l. c. p. 9. Neque abnuit JO. AUG. ERNESTI, Init. Rheter. §. 256; cfr. §. 15.

k) QUINTILIAN. L. X. c. 2 f. 22.

l) Neque enim pulchrum arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu judicatur (CICERO de Orat. L. III. c. 37 f. 151); est nempe id in communibus infixum sensibus, nec ejus quemquam funditus natura voluit esse expertem (Idem ibid. c. 50 f. 195): notatio autem naturæ & animadversio peperit artem (Idem Orat. c. 55 f. 183), nec est eloquentia ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum (de Orat. L. I. c. 32 f. 146). Cfr. QUINTILIAN. L. II. c. 17 f. 9. L. VI. c. 3 f. 19. L. XI. c. 1 f. 91.

eosque haud raro in republica ipsisque civilium motuum turbis & fluctibus versatos. Nam et si primi illi artis inventores concinnatoresque ne mediocriter quidem diserti fuisse traduntur (*m*), &, qui diligentissimi Artium scriptores extiterunt, judicantur ab eloquentia longissime fuisse (*n*), quemadmodum e. c. CHRYSIPPUS sic scripsit artem, ut, si quis omnutescere concupierit, nihil aliud legere debet (*o*), & aridisissimi appellantur HERMAGORÆ atque APOLLODORI Pergameni libri (*p*): in utraque tamen re nitent ISOCRATIS, ÆSCHINIS, L. CRASSI, M. ANTONII, Q. HORTENSII, M. TULLII CICERONIS nomina, quibus nec sine ratione annumeratur ipse QUINTILIANUS. At a quibus libentius, a quibus majore cum fructu elementa discemus eximiæ & in populares omnino usus adhibendæ artis, ab illisne qui ultra scholam nihil sapiunt, an ab iis qui æque exemplis atque præceptis fuerunt insignes? Ab his puto; Veteribusque, nisi quæ usus evidenter arguat, standum: & quamvis nulla sit ars qualis inventa est, nec intra initium steterit (*q*), earum tamen disciplinarum, quæ hominum magis cognitione & rerum usu quam umbratili Philosophiae subtilitate nituntur & crescunt, exigua toties quidem esse solent incrementa, quoties e splendido magnificoque virium exercendarum & explicandarum campo in spatum justo angustius contrahitur ipsa illa agendi facultas & occupatio. Utamur igitur Antiquorum bonis, sed ita, ut, ab utroque tam antiquitatis quam novitatis omniisque auctoritatis præjudicio liberos atque immunes nos præstanto, nihil quod ad rem Oratoris aptum fru-

m) CICERO de Orat. L. I. c. 20 f. 91.

n) QUINTILIAN. L. VIII. Procem. f. 3.

o) CICERO de Finib. B. & M. L. IV. c. 3 f. 7.

p) Dialog. de Oratoribus f. de causis corruptæ Eloquentiæ cap. 19.

q) QUINTILIAN. L. X. c. 2 f. 3.

frugiferumque sit spernamus; libemus contra undecunque, ut
in floriferis saltibus apes, dulces cellisque replendis idoneos
succos, & temperemus antiqua novis, nec horum tamen,
quam veræ & genuinæ, ex ζι egressæ, ad ζι relatae præ-
stantiæ cupidiores. Consentient nobiscum; inter alios, lauda-
tus jam Jo. MATTH. GESNERUS, Jo. AUG. ERNESTI (r),
FRIDERICUS AUG. WIDEBERG (s), JOHANNES GEORG. SUL-
ZER

r) In prima parte, quo loco de argumentis inveniendis agitur, reti-
nui veterem rationem, quæ argumenta reperiire docet secundum ge-
nera causarum: non quo non & ipse, post tot alios, possem alia
via uti, sed quia nihil adhuc melius ista ratione vidi, in primisque
quoniam ad intelligendos facilius cum Rhetores tum-Oratores veteres
utilis ac prope necessaria videbatur. . . . Omnino mihi videntur
multi, in philosophiæ ad eloquentiam comparandam necessitate &
usu, non parum a veritate aberrare. . . . Principatus universæ elo-
quentiæ haud dubie est in copiosa ornataque argumentorum tra-
tatione. In ea autem quid est, quod nos juvare magnopere posse
philosophia ea, quæ hodie in scholis traditur? . . . Fuerunt for-
tasse, qui a nobis philosophiam potius super rhetorum præceptis,
& demonstrationes e philosophia dultas, expellarent, in quo genere
non unus jam operam oleumque perdidit. Ego vero tironibus util-
ius putavi, quæ aut veteres obseruant, aut egomet ipse, utilia
ad dicendum, ea breviter & perspicue tradere. Ceterum, qui vo-
lent super singulis quibusdam præceptis philosophari, eorumque caus-
as e natura rerum humanarum explicare proiectioribus, hi sibi sub-
inde occasionem idoneam datam reperient. Præfat. Initior. Rhe-
toricor. (Edit. Lips. 1796) p. 5 sqq. II.

s) Nullius fere artis meliores magistri exstiterunt inter veteres, quam
cujus & præcepta & exempla perfectissima reliquerunt, Oratorię.
Quis enim Eloquentiæ rationes CICERONE ornatus, quis QUINTI-
LIANO accuratius explicavit? Quis par fuit in arte ipsa DEMOSTHE-
NI aut CICERONI? Et præcepta quidem pleraque etiam nunc sequi
debemus ad artis hujus laudem adspirantes; quum eloquentiæ vis
eadem maneat, licet in diversis argumentis versetur, formasque di-
versas induat. . . Lætabor, & laborem qualcumque meum mihi met
ipse gratulabor, si ex eo ingenia juvenilia dulces sibi fructus, in

ZER (t), JOH. JOACH. ESCHENBURG (u), & GEORG. GUST.
FÜL.

primis veræ eloquentiæ amorem, &c., qui ab atatis hujus inconsiderata conuentudine recentissima quaque recta & optima putandi alienissimus sit, sensum percipere intellexero. Præcepta Rhetorica e libris Ariftotelis, Ciceronis, Quintiliani, Demetrii & Longini collecta, Præfat. p. 2, 6. Cfr. Prolegg. p. 6.

t) Quintilian ist allein beynahè vollständig; von den andern hat jeder wenigstens einige Punkte mit grosser Gründlichkeit behandelt. Also käme es hauptsächlich nur auf ein wolüberlegtes Zusammentragen der schon vorhandenen Lehren an. - Ich wüsste nicht, was für neuere Schriften ich einem, der den Cicero und Quintilian studirt hat, zum fernern Studium der Theorie empfehlen könnte. Allgemeine Theorie der Schönen Künste, voc. Redekunst.

u) Mir schienen die ältern Lehren und Grundsätze des Geschmacks und der schönen Redekünste durch die neuern zwar in mancher Hinsicht bereichert und zum Theil berichtig't, darum aber nicht schlachthin verwerflich und in dem Grade unschäfft geworden zu seyn, dass ich mich hätte entschliessen können, jene völlig aufzugeben oder durchaus unzubilden. Alles zu prüfen, und das Gute zu behalten, hielt ich auch hier für die sicherste Klugheitsregel. Ob ich durch dieses Verfahren den herrschenden Zeitgeschmack und die unbedingten Forderungen der strengern Kunstrichter befriedigen werde, daran hab' ich allerdings Ursache zu zweifeln. Vielmehr erwarte ich von den Letztern manche Vorwürfe, denen ich leicht ausgewichen wäre, wenn ich blos nachsprechend in den dogmatischen Ton der sogenannten neuen Ästhetik hätte einstimmen, und, um ihrer Billigung gewiss zu seyn, meine Ueberzeugungen hätte verleugnen wollen. Denn, dass ich mich nicht blos auf die ältern Lehrsätze beschränkt, sondern die neuern da, wo sie mir vorzüglicher schienen, dankbar benutzt, oder, um eine vielseitigere Ansicht und Prüfung zu veranlassen, wenigstens überall auf sie hingewiesen habe, wird mich schwerlich bey denen rechtfertigen, welche nur das Nenere für geltend, oder gar für allgemeingültig zu halten geneigt sind. Entwurf einer Theorie und Literatur der schönen Redekünste, Berlin und Stettin 1805. Vorbericht p. X sq.

FÜLLEBORN (v); nec erit facile verum ullum utileque novae disciplinæ aut inventum aut præceptum, quod ex antiqua illa non posit erui.

Triplinem constituerunt ab ARISTOTELIS inde tempore antiqui Rethores Inventionis oratorie materiam, eamque absolvı docuerunt λόγοι, ἡθεῖ & πάθεῖ: quæ tamen cum singula sermone, tamquam communi, ut ita dicam, vehiculo utantur, præeunte DIONYSIO Halicarnasseo (x), argumenta (λόγοι s. πίσεις) ἀποδεικτικὰ, ἡθικὰ & παθητικὰ, si non commodius, haud incommodius certe, appellari posunt. Dixerunt vero ista, quippe ad docendum valentia, necessitatis esse, illa, ad placendum, delectationis, hæc, ad commovendum fortiter, victoriae (y). Quod ultimum quam vere pronuntiatum

v) Häufig habe ich der Kunststücke und Nothhelfer der älteren Rethoriker Erwähnung gethan, und ich sehe voraus, dass mehrere Geschmacksrichter dieser altfränkischen Pedanterey lachen werden. Philosophie des Styls! werden sie ausrufen, man gebe den Zuhörern Philosophie! Je ausgemachter es ist, dass der Lehrer einen gemischten grossen Anzahl von Zuhörern seinen Unterricht, um nützlich zu werden, nicht auf Genies und nich auf Dummköpfe, sondern auf die Mittlern zwischen beyden berechnen müsse; deslo mehr wird er dafür zu sorgen haben, dass sie nicht allgemeine Ansichten, sondern bestimmte Anleitungen bekommen, dass sie nicht über Denkform und Synthesis schwatzen, sondern Gedanken haben und darstellen lernen. Und dazu sind die aus einzelnen Erfahrungen abgezogenen Regeln und Schemate, wie sie in den älteren Rethoriken vorkommen, sehr behülflich. Der sogenannte rhetorische oder stylistische Unterricht hat es nicht sowohl mit Kenntnissen, als vielmehr mit Fertigkeiten zu thun. Rhetorik, Breslau 1805, Vorrede p. I sq.

x) Judicium de Lygia, cap. 24.

y) CICERO Orat. c. 21 s. 69.

tum fuerit, ex sequentibus haud obscure, ut speramus, pa-
tebit.

Poësin Prosa fuisse oratione antiquorem, cum ex Histo-
riarum fide, tum maxime ex primigenia & hominum & lingvarum
conditione & indole demonstratum iverunt plurimi, & in his
clarum Berolinensis Scientiarum & Litterarum Humaniorum A-
cademice membrum, THIEBAULT (z): quod tamen non de ser-
mone, cuius, ne CICERO^{NIS} quidem ætate, ulla erant præce-
pta (a), sed de contentione s. elaborata oratione valere, fa-
cile est ad intelligendum. Oppido namque patet, id semper
secum tulisse naturam rationesque hominum, ut inter se fo-
ciarentur, ut animi sensa alter alteri indicaret, ut colloquia
cum se invicem fererent, utque, quod omnium eadem socie-
tate junctorum interesset, prudentiores potissimum fvaderent,
reliqui exsquererentur: uti & ne concipi quidem potest, quo
paſto, sine prævia aliqua lingvæ sermonisque cultura & exer-
citatione, efflorescere ex mutis plane ingenii potuisset Poësis.
Hinc, quamvis primis illis immortaliter de mortalium genere
meritis Poëtiſ ſ. Vatibus id minime invideamus, quod dicun-
tur cædibus & vieti fœdo deterruisse filvestres homines, pu-
blica privatis fecreviſe, sacra profanis, dediſe jura maritis,
oppida fuisse molitos, leges incidiſe ligno (b); priores ta-
men, si quid perspicere valemus, eos fuisse putandum est,
qui foluta Svadæ facultate idem efficerent (c), sed conatu a

B

poë-

(z) Histoire de l' Academie Royale de Berlin pour l' année 1766.

(a) CICER. Offic. L. I. c. 37 f. 132.

(b) HORAT. Epist. ad Pisones v. 391 fqq.

(c) CICERO de nat. Deor. L. II. c. 59 f. 148. de Invent. L. I. c. 2
f. 2 fqq. de Orat. L. I. c. 8 f. 33. QUINTIL. L. II. c. 16 f. 9.
cfr. L. III. c. 2 f. 4, & ad hunc locum nota GESNERI. Cfr. etiam
VIRGIL. Æn. I. 148 fqq.

poëtis, &c, quales tum erant, philosophis (*i*) alendo. Ut cunque vero judicabuntur ista, mature satis habitus est Eloquentiae honos, & diligens in illum comparandam collata opera. Testantur hoc aserta Diis & in primis Mercurio inventæ facundiæ laus; conciones (*αὐγέας*), quibus viii redderentur clari (*ἀριπεπέες*); datus acutissimi præceptor Phoenix, ut ille non solum actor rerum, sed orator quoque verborum evaderet (*e*); Homericorum ad Trojam ducum, quos inter Ulysses dicitur verbâ ex p̄tore emisisse imbris nivalibus similia hibernis (*f*), & e Iaviloqui Nestoris lingua melle dulciorem profluxisse sermonem (*g*), orationes; proposita inter juvenes eloquentiae certamina (*h*); & lites actoresque in clypeo Achillis cælati (*i*). Et valebat sane, illo iam tempore, de incredibili Eloquentiae vi ingeniosus Gallorum de Hercule suo Ogmio, Facundiæ præside, mythus, quod Numen ita adumbrari fvevisse narrat LUCIANUS (*k*), ut ingentem hominum multitudinem, omnes ab auribus revinctos catenulis, e lingva Dei egredientibus, at minime invitatos, sed volentes & alacres, non traheret, sed duceret: at multo etiam lætius florere cœpit præstantissima haec & reliquarum omnium domina ars in liberis & a moderatore uno ad populare imperium trans-

d) CICERO Tuscul. Qu. L. V. c. 2 f. 5. cfr. de Orat. L. I. c. 9 f. 36 sqq.

e) HOMER. Il. IX. 441 sqq.

f) Idem ibid. III. 221 sq. cfr. QUINTIL. L. XI. c. 3 f. 158. L. XII. c. 10 f. 64. GELL. Noct. Att. L. I. c. 15.

g) HOMER. Il. I. 248 sq.

h) Idem ibid. XV. 284.

i) Idem ibid. XVIII. 497-508. Cfr. QUINTIL. L. II. c. 17 f. 8.

k) Προσλαλία ἡ Ἡρακλῆς.

translatiis Græcorum civitatibus, quarum omnia instar erant Athenæ. Nec enim, CICERO (*l*) inquit, in constituantibus rem publican, nec in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devindicis, nasci cupiditas dicendi solet: pacis est comes, otiique socia, & jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam, eloquentia; quod autem addit, bene, id non usque-quaque verum est. Cum namque ceteræ Gtæcorum respubli-*cæ* severiori temperatorique uterentur disciplina, & a blande imperiosis Demagogorum artificiis magis abhorrent, in illa Minervæ urbe, mixtis omnibus, tantum quisque orator sapiebat, quantum erranti populo persuaderi poterat; omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant; eratque magna ista & notabilis Eloquentia alumna licentiæ, quam fluti libertatem vocabant, comes seditionum, effrenati populi incita-mentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, ar-rogans (*m*). Facile est judicatu, quam late posset in tali re-rum constitutione dicam an tempestate evagari Oratorum aut libido, aut ingenium; quam parata ipsis eset ad honores, ad opes, ad dignitatem via; quanta auctoritate in aures concio-num, in judicium animos influerent; quamque facilis eset ab honesto & laudabili artis ulu ad ejusdem abusum transitus. Hinc crebræ illæ de civitatibus Oratorum ope non sustentatis sed eversis querelæ (*n*); hinc professio Oratorum forensium ab EPICURO *κακοτεχνίᾳ* (*o*), Rhetorice a SOCRATE adulatrix

B 2

&

l) Brut. c. 12 f. 45. cfr. de Orat. L. I. c. 8 f. 30. & Præfatio Joh. DAV. MICHAËLIS ad ROB. LOWTH de Sacra Poësi Hebræorum, Gœlt. 1770, p. XXIII, XXVIII sqq.

m) Dialog. de Oratoribus c. 36, 40.

n) CICERO de Invent. L. I. c. 2 f. 3. c. 3 sq. f. 4 sq. de Orat. L. I. c. 9 f. 38. QUINTIL. L. II. c. 16 f. 4.

o) AMMIAN. MARCELLIN. L. XXX, c. 4.

& cavillatrix, ab ATHENÆO Peripatetico fallendi ars' appellata (*p*); hinc ÆSCHINIS illa &, post hunc, M. CATONIS definitio, qua Oratorem eum dictum voluerant, qui eset *avνης εὐγνώμων δύνατος ἐπεῖν, vir bonus dicendi peritus* (*q*), ab HERENNIO SENECLIONE ita conversa, ut *virum diceret malum, dicendi imperitum* (*r*); hinc ea in Oratores cavillatio, quod ex utraque causæ parte dicerent (*s*); hinc Eloquentia, ex Lycurgea lege, Lacedæmonie expulsa (*t*), hinc Rethores Senatus consulto censorioque edicto aut Roma ejecti, aut ita coerciti, ut ludos claudere cogerentur (*u*). Et objectum utique est ipsi SOCRATI, at multo etiam magis Sophistis, quod docerent *τὸν ἡττω λόγον ορείττω ποιεῖν*, idemque & tentarent (*v*); defendebat PHOCION, quantumvis & bonus & severus pecuniarumque contemtor, mali cuiusdam hominis in judicio causam (*x*); constitit e THEMISTOCLES cum ARISTIDE contentio-

ne,

p) QUINTILIAN. L. II. c. 15 ff. 23, 25.

q) Idem L. XII. c. 1 f. 1.

r) PLIN. Min. L. IV. Epist. 7. Parodia, qua verba, minus plena, qua sensum, pleniore, uti debuiset HERENNIUS (de eo vide TACITUS Agricolam, c. 2 & 45), nisi AQUILUM expressisset REGULUM, qui, imbecillo latere, confuso ore, haesitante lingua, tardissima inventione, memoria nulla, ingenio infantio, & dignus risu magis quam gemitu, per impudentiam tamen & furorem eo pervenerat, ut orator a plurimis haberetur.

s) QUINTIL. L. II. c. 17 f. 30. CICER. de Orat. L. II. c. 7 f. 30.

t) QUINTIL. L. II. c. 16 f. 4.

u) SVETON. de claris Rethoribus c. 1 f. 2 sq. CICER. de Orat. L. III. c. 24 f. 93 sq. Dial. de Oratoribus c. 35.

v) ARISTOPHAN. Νεφέλ. v. 98 sq. 104, 112 sqq. 882 sqq. ARIST. Rhetor. L. II. c. 24 extr. CICER. Brut. c. 8 f. 30. QUINTIL. L. II. c. 16 f. 3. GELL. L. V. c. 3.

x) PLUTARCH. in Phocione c. 15.

ne, quanto *antiflaret eloquentia innocentiae* (y); dicitur CARNEADES Romæ non minoribus viribus contra justitiam disseruisse, quam pridie pro justitia dixerat, eoque potissimum id meruisse, ut quam primum dimittendus a M. CATONE Majore censemetur (z); pervenerat C. TERENTIUS VARRO, proclamando pro fôrdidis hominibus causisque adversus rem & famam bonorum, primum in notitiam populi, deinde ad honores (a); extorta est JULIO CÆSARI Dictatori causa optima C. COTTÆ patrocinio (b); nocentem, modo ne nefarium impiumque, aliquando defendi, velle multititudinem, pati consuetudinem, ferre etiam humanitatem, monet CICERO (c), quem quoque gloriatum arguunt QUINTILIANUS & JULIUS RUFINIANUS (d), se in causa CLUENTII tenebras offusisse judicibus; queriturque OVIDIUS (e):

*Discit ut innocuas agat facundia causas:
Protegit hæc fontes, immeritosque premit.*

Patet

y) CORNEL. Nep. in vita Aristidis c. 1.

z) QUINTIL. L. XII. c. 1 f. 35. PLIN. H. N. L. VII. c. 31. cfr. PLUTARCH. in Catone Majore c. 44. Idem CARNEADES cum CRITO-LAO Peripatetico & DIOGENE Stoico, cum Romæ de maximis Atheniensium rebus agerent (CICER. de Orat. L. II. c. 37 f. 155), eo perpulerunt senatum, ut, quod vellent, impestrarent, diceretque hic, miseros eos fuisse, non ut persuaderent (*πείσοντας*), sed ut cogerent (*βιάζομένοις*). ÆLIAN. V. H. L. III. c. 17.

a) LIV. L. XXII. c. 26.

b) VALER. MAX. L. VIII. c. 9 ex. 3.

c) OFFIC. L. II. c. 14 f. 51.

d) Ille L. II. c. 17 f. 21; Hic, de Figuris sententiarum & eloquentis L. I. c. 13.

e) TRIST. L. II. eleg. I. v. 273 sq. cfr. Dialog. de Oratoribus c. 124.

Patet ex iam dictis, non semper *Oratorum eloquentiae moderatricem fuisse auditorum prudentiam* (*f*), sed saepe defuisse hanc, aut, sicuti adeset, insidiatam ei haud raro fuisse flexaniam illam reginam rerum orationem. In Deliberativo certe genere totæ Græcorum respalicæ sedentis concionis temeritate administrabantur (*g*), quæ igitur, ut a PERICLE quondam Athenis, sic ibidem ab insequentibus, & ab aliis alibi regenda erat. Ad judicia quod attinet, solebant quidem. Athenis judges jurejurando adigi ad pronuntiandam ex legibus, nec nisi ubi haec aut non haberentur, aut non satis essent definitæ & manifestæ, ex τῇ γνώμῃ τῇ αἰτίᾳ, sententiam (*h*); sed eludebatur saepe haec cautio partim a causarum patronis, legum aut obscuritatem accusantibus aut vim infringenteribus, & naturalem, quam præ se sollicite & artificiose ferebant, &quitatem contra scriptum jus tuentibus, partim ab ipsis judicibus, indoctis haud raro & imperitis, aut, quod pejus erat, partium studio ductis & præstringi se veritatis specie sinentibus. Erat quoque ibidem celebre & religiosissimum Areopagi judicium, quod, cum homines, etiam meliora cupientes, affectuum turbine in devia saepe abripi videret, orandi potestatem ita recusat volebat, ut non solum extra rem dici quidquam prohiberet, verum etiam affectus moveri vetaret, & propterea procœmia quoque atque epilogos nollet (*i*). Neque nulla

f) CICER. Orat. c. 8 f. 24.

g) Idem pro Flacco c. 7 f. 16.

h) JUL. POLL. Onomast. L. VIII. c. 10. cfr. ARISTOT. Rhetor. L. I. c. 15 f. 5, 12. Obtinuit fere idem & apud Romanos.

i) ARISTOT. Rhetor. L. I. c. 1 f. 5. Mirus est, & a MEURSIO, WERNSDORFIO, SPALDINGIO notatus QUINTILIANI (L. II. c. 16 f. 4. L. VI. c. 1 f. 7. L. X. c. 1 f. 107) error, qui, quod in Areopago tantum valuit, de omnibus Atheniensium tribunalibus prædicat. Resellitur etiam LYCURGI in oratione contra Leocratem testimonio, & multis historiarum orationumque monumentis.

nulla tamen erat, vel in justissimo hocce & ex meris, probatis populo, Archontibus, Thesmothetis, Polemarchis, Sacrorum Regibus complicito judicio, aut arctiudae legitimæ potestatis, aut tentandæ judicum religionis occasio; nam præterquam quod jam a PERICLE fractum fuit istud tribunal, majorque ipsi judiciorum pars ademissa (*k*), videtur etiam exemplum HYPERIDIS infra afferendum aperte satis monstrare, non fuisse sapientem illam legem a corruptione omni liberari servatam. De ceteris vero Atheniensium judiciis memorabile erat ALCIBIADES dictum, qui, cum capit is anquisitus e Sicilia ad causam descendam evocaretur, percunctanti euidam, cur patriæ de se judicaturæ non fideret, respondisse fertur, metuere se, ne pro albo calculo ater in urnam per errorem conjiceretur (*l*). Verbo: populare ubique fere erat Græcis oratoribus auditorium, idenque propterea impetu potius & vi regendum, quam frigidioribus argumentorum probationibus docendum.

Latinam quantumvis lingvam atque facundiam Græca inferior in judicaret QUINTILIANUS (*m*), non fuerat illa tamen huic, libera manente republica, multum absimilis. Ab AGRIPPA inde MENENIO (*n*), ad ultima popularis regiminis tempora immo superstitem umbram, delectare potius & vincere mentes quam docere studuerant Oratores. Hinc apud Romanos quoque insignis effloruit Eloquentiæ honos, in quo compارando vel principes desudarunt reipublicæ viri; in primis cum fine illa parum prodesse civitatibus sapientiam existimarent (*o*). Sic

k) PLUTARCH. in Pericle c. 18. cfr. Idem in Solone c. 28.

l) Idem Ἀποφθεγμ. c. 63.

m) L. X. c. 1 f. 100. L. XII. c. 10 f. 27 sqq, atque 38.

n) LIV. L. II. c. 32.

o) CICERO de Invent. L. I. c. 1 f. 1.

Sic mira erat in C. JULIO CÆSARE, hujus præcipue rei studio.
so, sermonis elegantia (p); sic POMPEJUS ille *Magnus*, sic
M. ANTONIUS, sic AUGUSTUS, sub ipsis civilibus bellis non
omiserunt declamandi consuetudinem (q); sic ipsi homines no-
vi, & hos inter maxime CICERO, eniti cupiebant. Cum enim
duæ essent artes, quæ possent locare homines in amplissimo gra-
du dignitatis: una *imperatoris*, altera *oratoris boni* (r), se-
quebantur haud pauci utramque, qui imbelles erant, hanc
maxime. Neque eadem tamen in causis omnibus erat Roma-
næ atque Græcæ eloquentiæ conditio. Causidico plus Romæ
datum erat, quam Athenis; at contra minus Svalori (s), qui
tamen

p) QUINTILIAN. L. X, c. I f. 114.

q) SVETON. de claris Rhetoribus c. I f. 6 sq. cfr. Idem, in Cæsare
c. 55, in Augusto c. 84. CICER. Brut. c. 72 f. 252 sq. c. 75
f. 261 sq.

r) CICER. pro Murena c. 14 f. 30. cfr. Brut. c. 68 sq. f. 241 sq.
de Inv. L. I. c. 4 f. 5. Dialog. de Oratoribus c. 36.

s) Les avocats de Rome avaient, sans contredit, plus d' avantage
que ceux d' Athènes: l' empire Romain étant infiniment plus étendu,
les grandes causes devaient être beaucoup plus multipliées; d'
ailleurs, à Athènes, plusieurs causes étaient renvoyées au tribunal
de l' Aréopage. . . . Mais les orateurs Romains avaient un champ
beaucoup moins libre dans les délibérations communes, quand il fal-
lait parler au peuple. La constitution Romaine était moitié aristocratique,
moitié démocratique: le sénat à Rome était bien aussi puissant
que le peuple. . . . Il fallait avoir autorité pour haranguer le
peuple: un simple particulier ne pouvait pas, quand il voulait, par-
ler dans la tribune pour le bien général. . . . Mais à Athènes,
quand on voulait délibérer sur une affaire importante, on était as-
semblé dans la place publique: un héraut s' avançait au milieu des
Athéniens, & demandait à haute voix, au nom de la patrie, qui
des citoyens assemblés voulait parler pour elle. Alors, comme si la
patrie elle-même l' eût appellé, un citoyen, quel qu' il fût, pourvu
qu' il eût du zèle & du talent pour la parole, se levait & mgn.

tamen si vel pauciores habebat consilii dandi occasiones, haud minori certe vi in concionis animos auresque influebat. Hujus quidem natura non uno in loco graphicē a CICERONE de pingitur: mobilis, huc illuc fluctuans, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimans, non delectu aliquo aut sapientia du&tā ad judicandum, sed impetu nonnunquam & quadam etiam temeritate, cedens precibus, mota plerumque gratia, &, ut in clamores plaususque, sic, ubi parum aut ipsa favebat, aut oratoris vi impellebatur, in acclamations adversas & sibilos prona (*t.*) Cavendum igitur haud minus erat Romanorum Oratoribus, quam cavere sibi quondam s̄everat Olympius ille PERICLES (*u*), ne quod ipfis verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur: sed iidem, firmata jam auctoritate, aut nondum reflante instabili ventosæ plebis aura, si vel contraria ipliis voluntati s̄vaderent aliquando, si vel objurgarent, feliciter plerumque assequebantur omnia. Quid? quod nec minus fere apud patres valebant, & ne privati quidem sine potestate erant, cum & populum & senatum consilio regerent (*v*). Nam eti⁹ vere dixisse videtur QUINTILIANUS (*x*): si mihi den-

C

tur

tait à la tribune. . . Dès qu^e il avait parlé une ou deux fois, & qu^e il avait plu, il était dès-lors regardé comme un des principaux de l' état. La république l^e élevait aux charges, l^e employait dans ses négociations, l^e envoyait en ambassade; c^e était un de ses ministres: orateur & ministre, étaient à Athènes deux mots synonymes. AUGER I. c. p. 32 fqq. 28 sq. cfr. CICER. pro Flacc. c. 7 f. 15. Dialog. de Orat. c. 37.

f) CICER. pro Murena c. 17 f. 35 sq. pro Roscio com. c. 10 f. 29. pro Plancio c. 4 f. 9 sqq. de Orat. L. II. c. 83 f. 339 sq. cfr. L. I. c. 33 f. 152. Orat. c. 63 f. 214. Brut. c. 69 f. 242. Dialog. de Oratoribus c. 39.

u) QUINTIL. L. XII. c. 9 f. 13. cfr. PLUTARCH, in Pericle c. 16, & CICER. Topic. c. 19 f. 73.

v) Dialog. de Oratoribus c. 36.

x) L. II. c. 17 f. 28. cfr. L. XII. c. 10 f. 52.

tur sapientum conciones atque omne concilium, nihilque invidia
valeat, nihil gratia, nihil opinio praesumta, perquam sit exi-
guus eloquentiae locus, & prope in sola delectatione ponatur,
poterantque omnia in senatu, utpote sapiente, minore appara-
tu agi (y); tamen etiam ibi magna erat vis copiose admirabi-
literque dicentis, & parum putabatur breviter censere, nisi
qui ingenio & eloquentia sententiam suam tueretur (z). Ju-
dicia si spectaveris, idem fere obvenit discrimen, inter ea
nempe, quae ex bonis aut prudentibus saltem viris composita
erant, eaque, quae a populo exercebantur, quae quamvis pro-
cedente tempore restringerentur & rariora evaderent, non
erant tamen vel CICERONIS aetate insveta. Et certe tum qui-
dem, quam unquam, magis id obtinuit, ut mali plurimum
possent (a), ut callidorum causidicorum artibus fallerentur
judices (b), ut ex imminenti illa diffusaque legum copia (c), &
captiosis singularique studio occultatis agendi formulis, quid
rectum esset ægre eruerent, ut nulla certa pronuntiandi for-
ma tenerentur (d), ut plura judicarentur odio, aut amore,
aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe,
aut timore, aut errore, aut aliqua permotione meutis, quam ve-
ritate, aut praescripto, aut juris norma aliqua, aut judicii for-
mula, aut legibus (e), utque auderent Oratores nonnunquam

vel

y) CICERO de Orat. L. II. c. 82 f. 333. cfr. QUINTIL. L. XI. c. I
f. 45.

z) Dialog. de Oratoribus loco proxime laudato. Cfr. CICERO pro
Murena c. II f. 24.

a) CICERO de Invent. L. I. c. 4 f. 5.

b) QUINTIL. L. IV. c. 2 f. 59.

c) SVETON. Cæs. c. 44 f. 3.

d) QUINTIL. L. V. c. 13 f. 5. cfr. L. XII. c. 10 f. 53.

e) CICERO de Orat. L. II. c. 42 f. 178. cfr. Orat. c. 37 sq. f. 130, 132.

vel contra leges ferre (f). Erat &, ubi aut armorum & manutin, aut pecuniarum vi corrumperentur judicia: sic absolutus Clodius, sic CICERO in exilium actus; quæ tamen huc non alio nomine pertinent, qnam quatenus id aut metu aut cupidine factum.

In utriusque igitur gentis Eloquentia potentissimas auditoribus faces admovebant *Affectus*: horumque vis, præter jam dicta, e mox dicendis melius etiam elucebit. Excusserunt quidem sollicite, & cum judicio egregie subacto, partim quid ferret ingenium, quid tentati vetaret, partim quibus materiis & occasionibus hi animorum motus convenienter, quibus minus: sed ubicunque nec in nugis, nec invita Minerva, agi poterant tragœdiæ, agebant. Erat enim Oratori quasi scena concio (g): & quemadmodum, cum in fictarum rerum actore nihil esset ad fidem spectaculo faciendam aptius, quam si cum sensu, quæ dicenda erant & agenda, dicerentur & fierent, POLUS Tragœdus, Eleætram SOPHOCLIS acturus, & in illa persona urnam quasi cum Orestis osibus gestaturus, sumta e sepulcro dilecti filii urna, non fictum sed veram expressit dolorem (h); sic Antiquorum Oratores, ubicunque fieri id comode & cum fructu poterat, lacrimas, & in universum affectus, sed præcipue Iram, Odium, Metum, Invidiam, Miserationem, nec dicendo solum, sed & faciendo quædam, movere tentabant (i). Huc pertinent inter Græcos exempla ÆSCHINIS, adstantes sibi, cum contra accusationem a DEMOSTHENE factam

C 2

fe

f) Exempla vide apud CICERONEM pro Domo, c. 19 f. 50.

g) CICERO Læl. c. 26 f. 97. de Orat. L. II. c. 83 f. 338.

h) GELL. N. A. L. VII. c. 5.

i) QUINTILIAN. L. VI. c. 1 f. 30. c. 2 f. 20; cfr. CICER. de Orat. L. II. c. 82 f. 337.

se defenderet, habentis patrem senem, fratres, affines, liberos, eosque & se Athenarum populo commendantis (*k*); atque HYPERIDIS, famosam illam ἐραλγεῖ PHRYNEN, impietatis ream factam, non tam reliqua, quantumvis admirabili, actione, quam dirupta ipsius tunica & nudato pulcherrimo pectore, præfenti jam paratæ condemnationis periculo eximentis, καὶ τοις ἐπιλογμένοις ἐν της ὄψεως αὐτῆς ἐπιδέητορεύοντος (*l*). Similia his sunt apud Romanos sequentia. In SERVIO GALBAM, Oratorem non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementer atque incensum, questionem de Lusitanis contra interpositam fidem interfecitis tulerat L. SCRIBONIUS LIBO, tribunus plebis, metuendumque omnino erat accusato, ne damnatur, quem tamen easum miseratione in primis elapsus est, propinquui sui C. SULPICI GALLI pupillum filium suis circumferendo manibus atque in humeros pæne attollendo, simulque duos filios parvos in concionem productos tutelæ populi Romani commendando (*m*). Neque minus Orator M. ANTONIUS, cum consularem reum MANIUM AQUILLIUM, & multis avaritiae cri-

k) Aeschin. Λόγ. περὶ παρεπεσθέσις, in fine. Nec absimile fuit CICERONIS, contra VERREM, in JUNIO (non JUNIA, ut est in ENESTI Initii Rhetoricis §. 95) puello, pupillo, ingenuo, artificium, de quo vide in Verr. c. 51 sqq. l. 130 sqq. 135, 137, 139, 141 sqq. I. 6, 148. c. 58 l. 151 sqq. Cfr. Orat. c. 38 l. 131. QUINTIL. L. VI. c. 1 l. 33.

l) ATHENÆUS, Deipnosoph. L. XIII. c. 6. QUINTILIAN. L. II. c. 15 l. 9. PLUTARCH in X Oratoribus & HYPERIDIS vita c. 3. Cfr. CLEMENTIS ALEXANDRINI Πρεστρεπτικὸν, & ARNOBII aduersus gentiles L. VI. In ipso Areopago actam fuisse causam, ex ATHENÆI narratione effecit WERNSDORFIUS; videturque ita severissimæ justitiae profanatio ansam dedisse non condendi quidem, sed renovandi, de affectibus in illo judicio non movendis, decreti.

m) CICER. de Orat. L. I. c. 53 l. 227 sq. Brut. c. 22 sq. l. 88 sqq. QUINTILIAN. L. II. c. 15 l. 8.

criminibus testimoniisque convictum, in judicio defendeteret, fles-
ibili & ad misericordiam commovendam apto vocis sono, asser-
tantisque C. MARII lacrymis, sed maxime diloricando accusa-
ti senis pectus, ejusque retegendo cicatrices, quæ honesto-
rum erant pro patria acceptorum vulnerum vestigia, id effe-
cit, ut ille absolveretur (n). De altero vero illo M. ANTO-
NIO, Triumviro, ejusque eo artificio, quo, præter funebrem
& valde patheticam orationem, ad infectandos JULII CÆSARIS
interfectores populi fæcem vehementissime incitavit, QUINTI-
LIANUM (o) ardiamus loquentem: *Populum Romanum egit in*
furorem prætexta C. CÆSARIS prolata in foro cruenta: scieba-
tur interficendum eum, corpus denique ipsum impositum lecto erat;
at vestis tamen illa sanguine madens ita representavit imaginem
*sceleris, ut non oculis esse CÆSAR, sed tum maxime occidi vi-
deretur.* Que Omnia (jam enim exemplorum satis est) mani-
feste docent, verisime esse a CICERONE (p) dictum, multo
plus proficere eum, qui inflammet judicem, quam illum, qui do-
ceat; & pathetico perturbari animos atque concitari, hoc eripi
causas, hor, cum rapide feratur, sustineri nullo pacto posse,
in hoc uno regnare orationem.

Conversa, post CICERONIS maxime fata, reipublicæ facie,
& a populo ad unius imperium traductis rebus plurimis, cre-
scere quidem perrexerunt Poësis aliæque elegantiores artes,
sed Eloquentia, incisis quasi nervis, langvescere mox cœpit
at-

(n) CICER. in Verr. L. V. c. 1 f. 3. pro Flacc. c. 39 f. 98. de Orat. I. II. c. 28 f. 124. c. 47 f. 195 sq. Brut. c. 38 f. 142. QUINTILIAN. L. II. c. 15 f. 7. L. XI. c. 3 f. 170 sq. Liv. Epit. L. LXX.

(o) L. VI. c. 1 f. 31. Cfr. PLUTARCHUS in Antonio c. 19.

(p) Brut. c. 23 f. 89. Orat. c. 37 f. 128. cfr. QUINTIL. L. VI. c. 2 f. 26, q. HORAT. A. P. v. 423 sq.

atque frigere. Sublati jam erant populares illi cœtus, in quibus dominatus maxime fuerat Orator; in curia & magis etiam in principum aulis, rarus erat longioribus orationibus locus; iplamque forensem eloquentiam non solum AUGUSTI disciplina, sed ipsa illa a populo ad Imperatores translata provocatio, & reliqua temporum conditio pacaverant (q). Certe tum oratoriæ artis vi minus, quam principum aut faventium aut iratorum nutu, id effectum, quod multos antea suis acerbe questos, QUINTILIANUS (r) indicat: *Eloquentiam esse, quæ poenis eripiat sceleros, cuius fraude damnentur interim boni;* sed erat tamen, in privatis maxime causis, etiamdum Oratori haud nimis angustus campus relictus, ut adhuc posset is, quemadmodum acer eloquentia EPRIUS MARCELLUS & molestus interrogator VIBIUS CRISPUS (sed uterque simul delationibus & accusationibus infamis), ex humilibus potentes ac divites fieri (s), utque, QUINTILIANO (t) teste, suimis, sua ætate, forum ilustraretur ingeniosis. Erant & hæc, magisque etiam, talia, quæ, argente CORNELIO CELSO (u), simile tantum veri petrerent, quibusque non bona conscientia, sed victoria, esset præmium; sed FABIUM ipsum si exceperis, quem, si in schola declamantem, multo certe magis in foro agentem, deprehenderunt frequenter non solum lacrimæ, sed pallor & veri similis, immo verus quoque dolor (v), plures forsan aut ambitu

q) Dialog. de Oratoribus c. 38 sq. & 41. cfr. CICER, de Orat. L. II. c. 48 f. 199. QUINTIL. L. VI. c. 1 f. 36.

r) L. II. c. 16 f. 2. cfr. TACIT. Annal. L. I. c. 2 extr.

s) TACIT. Annal. L. XIII. c. 33. L. XIV. c. 28. L. XVI. c. 22, 28 sq. 33. Hist. L. II. c. 10. L. IV. c. 41. Dialog. de Oratoribus c. 8.

t) L. X. c. 1 f. 122.

u) Apud QUINTILIANUM L. II. c. 15 f. 32.

v) Idem L. VI. c. 2 f. 36. cfr. L. IV. c. 2 f. 86.

bitu, aut aliis quam oratoriis artibus, id effecerunt, quod suapte
vi atque in judicium & multitudinis animos illapsu præstiterant
divini illi priorum temporum Oratores. Quid enim illa ætate
egregii exspectandum, qua in umbratiles Rhetorum exercita-
tiones tota fere semet contraxerat augustior diu Eloquentia;
qua bis in scholis stultissimos fieri adolescentulos videbat
PETRONIUS ARBITR^R (*x*), *quia nihil ex iis, quæ in usu es-
sent, aut audirent aut viderent, sed mellitos verborum globulos,*
*& omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa, qui-
bus effectum eset, ut corpus orationis enervaretur & caderet;*
qua **NERONI**, facundiae certamina ingresso, palmam detulerat
adulatio (*y*; *quaque centumvirales, tum temporis gravissimæ
causæ obscuris patebant adolescentulis, quos sequebantur au-
ditores, laudicoeni per contumeliam appellati, & trium quis-
que denariorum sportulis ad laudandum ciendosque clamores
redemti* (*z*)?

Vidimus in liberis Græcorum civitatibus & Romana re-
publica lætissime floruisse aliquamdiu Eloquentiam, idque tem-
poribus turbulentissimis & maxime ancipitibus maxime, post
sedatas autem & unius, vel optimi, arbitrio subiectas res, cito
defecisse: *nequaquam enim par gubernatoris est virtus, cum
placido & cum turbato mari vehitur* (*a*). Ut vero antea af-
fectuum campus is fuerat, in quo maxime dominata erat ora-
tio, sic, hujus refrigercente vi, illi quoque non sensim sed cito
de-

x) Satyric. c. I sq. cfr. **QUINTILIAN.** L. X. c. I f. 43, 125. L. XII.
c. 10 f. 73.

y) TACIT. Annal. L. XIV. c. 21.

z) Tanti constat, ut sis disertissimus; **PLIN.** L. II. ep. 14. Cfr. Dia-
log. de Oratoribus c. 38.

a) PLIN. L. IX. ep. 26.

deferbuerunt. Fuerat iis in illa contentionis pugna, discrimine, acie, cui sua negotia frequenter assimulabant veterum Oratores, aut utendum aut cedendum, in primis cum sine illicis ne ex improborum quidem & omnia perturbare cupientium civium manibus eripi posset victoria: quo etiam argumento semet tuentur ii, qui affectuum usum, quamvis haud semper laudandum, retinendum tamen voluerunt. Nequiverunt non fateri, ad docendum nihil, sed ad obscurandam potius mentem & quasi extra se rapiendam valere affectus, cumque judicem misericordia, ira, similibusve a veritate depelli nollent, indigne sane tulerunt fuisse hanc saepe & a multis violatam; nec disimulare tamen sibi potuerunt, cum esset saepius apud omnino imperitos loquendum, nisi hi & delectatione allicerentur, & viribus traherentur, & nonnunquam turbarentur affectibus, nec ipsa, quae justa & vera & in commune profutura esent, teneri posse (b). Cur vero tanta esset in Antiquorum Eloquentia vis atque potentia affectuum, id, praeter ipsam horum, & populorum, quos in consensum sui abstractari erant, naturam, ex prisca illius (pragmaticae quidem) Eloquentiae scopo atque proposito facilime perspicitur. Id enim semper quererebat ista, ut in re praesente, confessim & sine mora, audientes non solum vellent idem, quod orator, sed decernerent etiam atque exsequerentur (c): ut bella denuntiarent, ut pacem & foedera amplecterentur, ut imperia darent aut adimerent, ut leges juberent aut antiquarent, ut reos damnarent

b) QUINTILIAN. L. II. c. 17 f. 26 sqq. L. V. Proem. f. 1. c. 14 f. 29. L. VI. c. 1 f. 7.

c) Je définis l'eloquence, l'art de persuader par le discours, de déterminer sur-le-champ les volontés. --- Pourquoi ajouté-je sur le champ? n'est-ce pas resserrer l'éloquence dans des bornes trop étroites? C'est plutôt, à ce qu'il me semble, en donner une idée plus précise & moins vague, qui empêche qu'on ne la confonde avec ce qui n'est pas elle. AUGER l. c. p. 5 fq.

mnarent aut absolverent, & quæ erant alia hujusmodi. Extorsit hæc ipsa festinatio interdum vel invitatis, saepe non oportantibus, sed improviso affectuum turbine abreptis, sententias atque decreta, in quæ, si suppetiiset perspicienda veritatis & rei tranquilla mente judicandæ tempus, forte nunquam consenserent.

At hæc jam omnia aliter se nostris quidem temporibus habere, nemo est, qui non facile deprehendat. Segregavimus supra a veri nominis Eloquentia illam, quam Doctrinalem appellant, quamque, quoties stili floret laude non communi, *diserti* potius *sermonis* (*disertitudinem* vocabat HIERONYMUS), aut *svaviloquentiam*, quam *eloquentiam* titulo ornandam velimus (d). Neque orationes morabimur Demonstrativi generis, ad pompa magis (e), quam ad certam quandam rem efficiendam, antiquitus jam compositas, &, funera si exceperis (f), fortio-
re quovis affectu tum magis etiam vacuas. Ad Judicialem formam quod attinet, advertendum primo est, omni tempore in privatis causis minus, quam in publicis, valuisse eloquentiam (g); deinde, nostra haudquaquam tam frequenter, quam

D

Ve.

d) Par est ratio distinctionis Eberhardianæ (Handbuch der Ästhetik, 4^r Theil p. 15 sq.) inter Germanicas appellationes *Wohlgedenheit* atque *Bereßsamkeit*, a qua neque multum abludit Antonianum illud, apud CICERONEM de Orat. L. I. c. 21 f. 94, inter *Disertum* & *Eloquentem* discrimen.

e) Hinc genus apparatus (*le genre d' appareil*) appellat AUGER I. c. p. 7.

f) QUINTILIAN. L. XI. c. 3 f. 153, 170.

g) POSTUMUM, Causidicum, jure ridet MARTIALIS (L. VI. epigr. 19), in lite de tribus capillis Cannas Mithridaticumque bellum & Punicum, & Sullas Mariosque Muciosque, magna sonantem voce ma- nuque tota (cfr. CICER. Orat. c. 21 f. 72): quæ tamen episodia ad majores causas accommodari haud inepte potuissent.

Veterum, ætate, tam illustres accusati aut defendi personas (*h*); tum, ubi tales causas incident, non coram levi multitidine, sed apud maturos & prudentes judices rem agi; porro, vocis atque actionis, qua plurimum pollebant Veteres (*i*), hodie longe rariorem quam scripti esse ulim; raro, si unquam, permitti, sed multæ potius dignum censerit, ut scriptis talia immisceantur, quæ ad rem ipsam haud proprie pertainent (*k*); adhæc, multo aliam jam esse, quam quondam fuerat, causidici personam, tantumque abesse, ut is judicem regat, ut contra ab hoc ille regi, coerceri, mulctari, amoveri poslit; ac tandem, sententiam, si a minoribus tribunalibus (apud nos quidem ruralibus maxime) discesseris, rarissime in puncto temporis, sed plerumque post rem bene meditata excusiosque, si qui adhæserint, affectuum aculeos, pronuntiari; ut taceam, haud irrevocabilia esse inferiorum judiciorum decreta, sed a superioribus ipsoque Summo Imperante, saltem ubi hoc aut partibus aut publicis legum custodibus visum fuerit, denuo, idque sine ira & studio, examinanda. Non caruerunt quidem honore in judiciali Gallorum Eloquentia PELISSONII, PORTAELI, PATROELI, COCHINII, DAGVESSAVII, LINGUETI (*l*, MALESHERBII,

h) Cicéron accusait ou défendait, sur des matières & dans des circonstances importantes, des hommes, qui avaient été consuls ou préteurs, qui aspiraient au consulat ou à la préture, c'est-à-dire les principaux d'une ville la maîtresse du monde. La position de nos avocats est-elle la même? AUGER l. c. p. 26.

i) Ut nunc est, oratoribus actione nulla opus, nec in ipsis paucis & sedatis gestibus, quos hodie orationes desiderant, illa est, quæ Veteribus dicitur, actio, a qua Græcis orationes, in quibus ea locum habeat, ἀγῶνες dicuntur; ERNESTI l. c. Præf. p. 4 sq. Absque affectibus langvet omnis actio; SENECA de ira L. I. c. 5.

k) Exemplo esse potest statutum Codicis Svecani, qui a FRIDERICO Rege nomen habet, XIV. Cap. 5 §. R. Bl.

l) Gloriatur hic ipse, cum ceteri causidici in solitudine dicerent,

HÉRBII, aliorumque nomina; nec in Britannia, ubi a Juratis, nonnunquam ex lege minus, quam ex injecta animis persuasio- ne, rei aut fontes aut infantes palam proclamantur, fertilior laudum campus causidicis vel defuit vel deest: at nusquam tamen talis, qualis in Hellade & Latio oratoribus olim conti- gerat (m).

Svasoriæ orationes, recentioribus quidem temporibus, in illis solum gentibus entere potuerunt, in quibus penes cives a populo delegatos major minorve sita aut est aut fuit summae potestatis particula: nec tamen in rebuspublicis aut justo minoribus (ut Luccensi, San-Marinensi), aut rigide aristocrati- cis (ut haud ita pridem Veneta) excelsior ista hujus generis eloquentia unquam effulgit. In Svecia vero, qualis inter anni 1719 initium annique 1772 medium erat, in Gallia, post po- pularem illam anno 1789 factam rerum omnium non emenda- tionem sed conversionem & stragem, per aliquod tempus in Britannia diutissime, simulque moderatissime, nec sine vigore

D 2 ta-

fuisse se, quoties in jure ageret, magna concursantis multitudinis corona stipatum, hujusque animos & vehementer perculisse & forti- ter tenuisse. Memoires & Plaidoyers T. VII. p. 436.

(m) Fatentem audiamus idoneum harum rerum judicem, & quidem An- glum, Rev:m BLAIR: *The nature of the Bar anciently, both in Greece and Rome, allowed a much nearer approach to popular eloquence, than what it now does.* Lectures on Rhetoric and Belles Lettres (Basil. 1801) Vol. II, p. 241. *At the Bar, though, que- stionless, we have many able pleaders, yet few or none of their pleadings have been thought worthy to be transmitted to posterity, nor have commanded attention any longer than the cause, which was the subject of them, interested the public. . . . The bounds of eloquence besides are now much circumscribed at the Bar, and, except in a few cases, reduced to arguing from strict law, statute or precedent; by which means knowledge, much more than orato- ry, is become the principal requisite.* Idem ibid. p. 200, 204.

tamen & per ipsum illum sapientem modum vel hodie super-
stes, lætius exsplenduit eadem. Affectibus igitur locum non
potuit non aliquando concedere, quorum, inter multa alia,
hoc unum protulisse satis erit exemplum. Agitabatur quon-
dam in Curia Regni Anglicani inferiore (*the House of Com-
mons*) quæstio, an perduellionis, majestatis & graviorum con-
tra pacem publicam delictorum reis advocatorum uti patro-
nio fas eset: consultationi intererat ingeniosus ille simulque
summæ auctoritatis vir, SHAFESBURY. Quid ille? ne verbum
quidem proferre valere deliquio animi proximus videbatur.
Reficere eum, ad resumendos spiritus, ad dicendam fenten-
tiā excitare tentabant collegæ, cum is demum in hæc verba
erumperet: "Ex eo, quod mihi, hæc cogitanti tantum, con-
"tigit, judicate, cives, quo animo futurus sit is, qui in dicen-
"da capitis causa sibi ipsi relinquatur." Veremur, ne hic ju-
sto plus infuerit mimici; sed docet tamen id ipsum exemplum,
quid in gravi prudentique istius gentis confessu dici, quid
fieri, quid communi omnium aspernū excipi potuerit. In Sve-
cia tale quid nunquam aula fuit eloquentia publica: & quan-
tumvis diuturna ibi nonnunquam esent Comitia, non pertige-
runt tamen unquam ad septenne, quod Britannico Parlamento
præfinitum est, temporis spatium; qua re factum etiam est,
ut, mutatis saepius publicis oratoribus, aliisque in aliorum vi-
cem succendentibus, illa singulis deeset continua exercitatio,
quæ sola oratoriā facultatem corroborat & sibi reddit bene-
fidentem. Deliberativæ igitur Britannorum Svadæ (laudes no-
væ & tum recens natiæ Americanorum reipublicæ συμβολαιæ
a LINGUETO datas vix confirmarunt posteriora tempora) quam-
vis præ ceterarum gentium illa lubentes palnam tribuamus,
fatentur tamen ipsi insularis illius populi scriptores, multum
abesse, ut cum fulmineo illo priscorum eloquio contendere
posit (n). Atque ne illa quidem reticenda est, cum ceteris ho-

n) *Britannos quidem Oratores antiquis æquiparare audet Jo. DAV. M.*

hodiernis gentibus communis, hujus rei causa, quod, quo magis intelligentiae excutendas dare consuevimus res singulas, eo etiam ad persentiendum, dandum & participandum affectuum impetum facti sumus frigidiores obtutioresque (o).

An igitur nostris jam orationibus nihil inest pathetici? Inest quidem, sed temperati, sed mitioris, quam apud pri-
scos; & rarius inest. Non ferimus sane orationem proflus
frigidam, & quamquam pristini fervoris impatientes, blandum
tamen requiriunt calorem. Volumus e quovis non mere
eruditio aut negotiali sermone & scripto elucere lenio-
res saltem illos animi sensus: candorem, modestiam, pie-
tatem, patræ amorem, benevolentiam, humanitatem, in
alienis malis miserationem, indignationem scelerum, & quaे
funt reliquæ hujus generis virtutes, quarum plerasque ^{H̄d̄w̄}
Morum oratoriorum nomine comprehendere solebant Veterum Rethores, quasque Affectibus valde esse affines, haud te-
mere judicabant & ab illis vix nisi gradu differre (p). Quem-
ad-

CHAËLIS (I. c. p. XXIII.), quamquam actionem & vocem oratoris in illis desiderari a nonnullis videat; sed veriora videntur viri Angli jam laudati propuntata: *In neither of those countries (France and Great Britain) has the talent of public speaking risen near to the degree of its ancient splendor: - - the names of DEMOSTHENES and CICERO stand, at this day, unrivalled in fame. - - Of orators, or public speakers, how little have we to boast? and where are the monuments of their genius to be found? In every period we have had some who made a figure, by managing the debates in parliament; but that figure was commonly owing to their wisdom or their experience in business, more than to their talents for oratory, and, unless in some few instances, wherein the power of oratory has appeared indeed with much lustre, the art of parliamentary speaking rather obtained to several a temporary applause, than conferred upon any a lasting renown.* BLAIR I. c. p. 198 sqq.

(o) BLAIR I. c. p. 202 sq. 218.

(p) DIONYS, Halicarnass, in Judicio de Lygia c. 24, CICER, de Orat.

admodum vero generoso & vehemente, sed opportuno affe-
ctu nihil est ad sublimem efficiendam orationem valentius (q),
ita nec dissitendum est, multum, inducta placidiore illa ratio-
ne, periisse non tantum antiqui roboris & vehementiae, sed
veræ etiam sublimitatis. Lætemur tamen nostris bonis, nec
angustiorem illam, sed magnarum civilium turbarum filiam,
prisco cultiori orbi invideamus eloquentiae speciem. Habet
indomitus ager quasdam herbas lætiores, & plures præliato-
res bonos bella, quam pax, ferunt: sed præstat tamen pax
bello; & si vel minor est obscuriorque oratorum gloria inter
mores bonos & in obsequium regentis paratos, tamen, quo-
niam nemo eodem tempore magnam assequi potest famam &
magnam quietem, sequentem prima, etiam si non attingentem,
honestum est in secundis tertisque confitere (r).

Dictum supra fuit, Eloquentiam recentiorum temporum
Sacram ad indolem Deliberativarum apud Veteres concionum
accedere; nec sunt fere, rerum publicarum moderatores si ex-
ceperis, quorum esse solent, in patriæ cujusque suæ angustis
rebus, Ivasoriarum affectuum plenisimæ, hodie alii, qui magnam
populi multitudinem in rebus gravibus & magni tam ponderis
quam necessitatis frequentius alloquantur. In Sacra igitur illa fa-
cundia, cum & ad frequentissimi auditorii rationem sit compara-
ta, & ἀπόδειξις quærat πνεύματος atque δυνάμεως (s), putave-
rit forte non nemo, affectus plurimum valere: & tributa sane
haud paucis primitivæ ecclesiæ doctoribus hæc fuit vincendo-
rum animorum laus, cum e. c. BASILII, quemadmodum ful-
gurare,

L. II. c. 53 f. 212. QUINTILIAN. L. V. c. 12 f. 9. c. 13 f. 2.
L. VI. c. 2 f. 8 sq. 12. L. X. c. 1 f. 48, 101.

q) LONGIN. περὶ Τψεως c. 8 f. 4. c. 29 f. 4. c. 32 f. 4. c. 12 f. 3.

r) Dialog. de Oratoribus c. 37. 40 sq. CICER. Orat. c. 1 f. 4.

s) PAULUS I ad Corinth. 2:4.

gurare, tonare, concutere, conturbare dicti erant PERICLES, DEMOSTHENES, CICERO (*t*), sermo *βερτὴν* appellaretur. At notandum probe est, non id jam esse Sacro Oratori, quod ci- vilium quondam concionum Ductoribus, propositum, ut in momento temporis & ad certum quoddam consilium mox ar- ripiendum pertrahat deliberantium haud ultra efficacem voluntatem, sed ut ad stabilem nec unquam evanidam audientes ad- ducat pietatem animique & vitae sanctimoniam; in quo igitur negotio non tantus est subitae ejusdam permotionis, quantus bene expensæ rei & firmi emendatique atque perennia & cœ- lestia majoris quam caduca & mortalia facientis judicij usus, in primis cum nihil lacrima citius arescat. Evenit quidem a- liquando JONÆ (*u*), antiqui fœderis prophetæ, ut Ninivitas ad vitam suam emendandam uno sermone adigeret, evenit deinde AUGUSTINO, non primis quidem duabus, sed tertia tamen concione, ut Hipponis urbis incolas ab instantis festi intem- perie & vitiis mature avocaret; sed plerumque tardior, eoque ipso certior & constantior est Concionum Sacrarum effectus. Hinc quamvis sine prudente & affectus etiam respiciente ψυχα- γωγίᾳ irritus sit mentium docendarum, & veri non solum notitia sed & amore imbuendarum conatus, & qui vel leniori- bus illis affectibus recte uti norit, eorum ope multum efficere valeat (*v*); ineptus tamen esset qui crederet, τὰ πάθη in ca- thedra

t) ARISTOPHAN. *Αχαρεῖν.* v. 530 sq. COLUMELLA L. I. Præfat. l. 30.

u) Cap. i v. 2, cap. 3 v. 4 sqq.

v) Egregia apponere liceat verba maxime Reverendi D:ni ÖDMANN: att röra, är att sätta hjertats känsla i verksamhet. Utan denna hjertats första väckelse talas för tillflutna öron. - - - Menniskan borde, må hånda, icke sökas på detta håll. Men behovet är der; och ho är den som förmår omfölja det? - - - En lycklig uppfin- ning, en behaglig röst och intagande åtbörd göra ofta, såsom Sa-

thedra sacra æque esse posse frequentia & efficacia, atque in
Veterum rostris & foris fuisse eadem comperimus.

lomo såger, vishetens ord till naglar. Ånnu mera skola de, genom den väg sinnligheten öppnar, intrånga uti själén, då de med hjertats sanna väärma frambåras af en Talare, som för sig åger det anseende, att han förkunnar hvad han self erfariit, och self utöfvar hvad han af andra fordrar. Huru osä har icke allt detta sammanlagt framlockat en oberåknad, men kan hånda i sinom tid fruktbarande tår, äfven från det öga, som på Sanningens ord kastat föraktets blickar! I allmänhet må väl Talaren icke göra sig stort hopp af dessa suckar och tårar. De kunna så lätt upphöra som de väcktes. Men de gifva honom dock utrymme att tala till uppmärksamheten. Der de alldelers uteblifva, sär han med mindre förhoppning. --- Deremot begår Talaren ett stort fel, om hans enda bemödandé är att storma på kånslan. Så snart denna är satt i rörelse, bör han betjena sig af den lifvade uppmärksamheten, till nyttig och lugn undervisning. Af blotta kånslor uppkommer ingen båttring. Det är oek en full omöjlighet att ständigt hålla dem vid lika väärma. Sådant vore tillika onyttigt: de skulle då blifva ett hinder för öfverläggningen. Anvisning till ett christeligt Predikofatt, Stockh. 1812 p. 20 sqq.
